

cus persistat, cum sola juris, non facti possessio sit attendenda, dummodò tamen ille secundi beneficii jam liberam possessionem nactus fuerit, insuper & liberè potuerit percipere fructus, qui nec ad capitulum, nec ad monasterium, nec ad alium quemcumque ad certum usque tempus, ex indulto, vel statuto, vel consuetudine pertineant, cap. 26. & 28. de præbend. in 6., Clem. 3. eod. tit., juncto cap. 9. in fine de concess. præbend. apud Gregorium IX., nisi tamen per eum steterit, quominus possessionem secundi beneficii nancisceretur,

extravag. unic. vers. qui verò deinceps de præbend. apud Joannem XXII., argumento l. 5. §. 1. ff. quando dies legator., & l. 24. ff. de condit. & demonstr. Notandum denique est, Clericum in beneficio ita vacante institutum non primùm debere in beneficii possessionem induci, quam vocetur in iudicium spoliatus, cui quædam fortè superesse possent jura, quibus in iudicio experiatur, & causas probabiles alleget, atque exhibeat palàm, ne adhuc à beneficii possessione turbetur, cap. 28. de præbendis in 6.



## DISSERTATIO SECUNDA DE VARIIS BENEFICIORUM SPECIEBUS.

**S**umma specierum, in quas beneficia tribuuntur, paucis perstringi commodè potest. Et primò quidem alia majora, alia minora vocantur. Majora dicuntur illa, quæ Episcopali ordini cohærent, nimirum Episcopatus, Archiepiscopatus, & quæ supra istas constitutæ sunt dignitates. Minora sunt, quibus Clericus in inferiore ordine sub Episcopo constitutus Ecclesiæ deserviens potitur. Inter hæc medium quendam locum obtinent Abbatia, & Prioratus Conventuales, quibus quasi Episcopalis jurisdictio adnexa proponatur. Beneficia majora, & quæ proximè ipsis accedunt, consistorialia etiam appellantur, quòd illorum collationem Pontifex Maximus palàm facere in consistorio soleat. Secundo alia sunt beneficia, quæ curam animarum adnexant habent, & Parochialia; alia sine cura animarum, & non Parochialia nominantur. Huic proxima est tertia beneficiorum divisio, qua alia dicuntur duplicia, alia simplicia: duplicia sunt, quibus vel jurisdictio, vel cura animarum inest: simplicia è contrario sunt & juris-

dictione, & cura animarum destituta. Quarto alia sunt beneficia, quæ Collegium componunt; alia quæ à Collegiis pendent, & quodammodò sunt eisdem adnexa; alia, quæ perse subsistunt sine Collegio. Priora sunt Canonicatus, sive in Cathedralibus, sive in Collegiatis Ecclesiis, pluribus sanè nominibus, ordinibusque discreti, qui nimirum vel dignitates vocantur, vel personatus, vel officia, vel simplices canonicatus. Posteriora beneficia, quæ nimirum à Collegiis pendent, & quemadmodò sunt Collegiis adnexa, totidem ferè demonstrari possent, quot sunt Ecclesiæ Collegiales, quæ modò cappellania, modò mansiones, modò præstimoniam, modò canonicatus minores, & secundi ordinis, modò communi nomine beneficia dicuntur; imò adhuc in plures gradus in majoribus quibusdam Ecclesiis distributa, decretisque nominibus distincta conspiciuntur, quibus sanè jure addere poteris ipsamet seminaria Clericorum, in quibus quamquam Clerici non perpetuò, sed tantum educationis causa mereant, nec propterea propriè beneficiari dici valeant, tamen adhuc & stipendiis ecclesiasti-

ticis sustentantur, & sacra ministeria eorundem ordini competentia in Ecclesia Cathedrali exercent. Quanam sint postrema beneficia, sive quæ per se subsistunt sine Collegio, non opus est indicare. Quintò alia sunt beneficia perpetua; alia manualia, ita dicta, quòd à manu pendeant conferentis, & possint liberè revocari, de quibus jam superius traditum est. Sextò alia sunt libera collationis, quæ omninò ab Ordinariis collatione pendent; alia exempta, vel reservata, in quibus conferendis nullam Ordinarii explicant potestatem; alia electiva, vel patronalia, in quibus locum quidem habet Ordinariis institutio, sed vel electione, vel præsentatione illorum, ad quos pertinet, præsupposita. Septimò alia sunt regularia, alia sæcularia, prout vel regularibus, vel sæcularibus Ecclesiis adhærent, nisi malis dicere, prout vel regularibus, vel sæcularibus Clericis, vel etiam monachis conceduntur. Octavò alia dici possunt beneficia, quæ propriam servant naturam juxta generalem beneficiorum omnium disciplinam; alia impropria, quæ aut in pluribus, aut in aliquibus ab eadem generali beneficiorum indole recedunt, quemadmodum ex causis sunt, quas laicas Cappellanas vulgò vocant. Denique, ut reliquas ferè innu-

meras beneficiorum partitiones omittam, alia sunt, quæ dantur in titulum, alia, quæ in commendam. Dantur in titulum, quorum vi beneficiarius Clericus verè præficitur alicui Ecclesiæ, vel, quemadmodum nonnulli ex veteribus dixerunt, ita incardinatur, ut ecclesiastico muneri gerendo addicatur, & reddito, quodam ecclesiastico potiatur. Non ignoro tamen, placuisse nonnullis viris eruditissimis, incardinare dictum fuisse in quadam singulari specie, videlicet cum quis à propria Ecclesia ad aliam translatus, in ista interea certis de causis sacra ministeria gereret. Dantur in commendam, quum certæ Ecclesiæ, vel bona ecclesiastica, ne corruant, vel depereant, alicujus curæ, ac custodiæ commendantur. Paucis pervagatus sum per varias beneficiorum species; neque enim hoc in loco singulæ singulorum qualitates erant latius expendendæ; nam ad beneficia, quæ majora dixi, hæc tractatio minimè pertinet; plures inde ex commemoratis beneficiorum speciebus ex iis, quæ dicenda inferius sunt, aptius, & perspectius dignoscuntur. Tantum hæc subjiciam quasdam observationes, aliquot beneficiorum species sigillatim spectantes, quæ non satis commodè neci cæteris possent.

### OBSERVATIO I.

*De quibusdam Cathedralium, aut Collegiatarum Ecclesiarum Beneficiis.*

Huc referendi sunt tituli 23. 24. 25. 26. & 27. lib. 1.,  
& titulus 5. libri 5.

**Q**uemadmodum divinarum mysteriorum & ritè, & decorè celebrandorum ratio postulavit, ut clericalis ordo tribueretur in varios distinctos gradus, unde Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, atque alii inferiores Clerici constituti sunt, atque discreti; ita &

politia rerum in Ecclesia optimè gerendarum suasit, ut munera beneficiaria, & curæ variæ essent, in tot gradus distinctæ, quot singularis utilitas inducere potuit. Id potissimum receptum est in Ecclesiis dignioribus, in quibus certus Clericorum numerus præstitutus est, qua-



les semper fuerunt Cathedrales Ecclesiae, quales item fuerunt aliae Ecclesiae Cathedralibus quidem inferiores, sed quae ob non exiguum Clericorum in iis administrantium cœtum, Collegiales dictae fuerunt. In istis Ecclesiis seu Cathedralibus, seu Collegiatis multiplices esse solent Clericorum ordines. Non loquor de iis, qui ab eodem Collegio pendunt, & instituti sunt in adiutorium Capituli sub variis nominibus, veluti Cappellanorum, Mansionariorum, portiones, vel præstimoniam possidentium; sed loquor de iis, qui Capitulum ipsum componunt; qui in quatuor classes distribui solent. Primum locum tenent Dignitates; his proximè accedunt Personatus: Distinguuntur insuper à cæteris, quae dicuntur Officia: denique quicumque alii sint, veniunt generali nomine Canoniceatum, seu Canoniceorum. Propriè Dignitas dicitur præstantia quaedam, cui certa ingenua iurisdictio cohæret, certis sanè conclusa limitibus, & multo inferior Episcopali, quae scilicet primùm ex mandatis Episcoporum singularibus obtineri cœpit, deinde propemodum in ordinariam evasit, sive quòd data esset, non personae, sed officio, sive quòd non opus haberet peculiari delegatione in iis, qui emergerent, casibus; imò hodiernis temporibus plurimùm aut statutis, aut consuetudinibus Ecclesiarum obnoxia facta, vel ferè ubique sublata. Mihi non placet in hac parte quorundam Pragmaticorum traditio assertentium, tum Dignitatem dici, cum certae personae in certo officio constitutae delegatae fuerunt causae quaedam à Sede Apostolica. Etenim observo in primis, singularem delectum quarundam personarum in delegationibus Apostolicae Sedis habitum tantùm fuisse à temporibus Bonifacii VIII., seu post editum capitulum 11. de rescript., proindeque jam diu, antequam hic delectus fieret, dignitates omnes suam indolem, ac naturam habuisse. Deinde si consistamus in conspectu dicti capituli 11., adparebit, aequè delegaciones

fieri potuisse & dignitatem, & personatum, & simplicem canonicatum in Cathedrali Ecclesia obtinentibus; eamque ob rem rationem ipsam delegationum nullum posse inducere discrimen inter dignitates, personatus, ac cæteros canonicatus. Quòd si ad recentiora tempora descendamus, & rationem habeamus capituli 10. sess. 25. de Reform. in Concilio Tridentino, quo cautum est, ut delegentur à Sede Apostolica causae tantùm viris in Synodo Diocæsana selectis, quid amplius superest in proposito, ut concludamus, hanc delegationum notam non esse certum dignitatum characterem? Personatus vocatur mera loci, sive sedis præstantia, quoties Capitulum unà conveniat, sive in choro, sive in processionibus, iurisdictioe prorsus etiam à sui origine, atque institutione destituta. Non ignoro tamen, aliquando in decretalibus promiscuè sumi nomen dignitatis, ac personatus, quod fortè ex eo evenire potuit, quòd omnis dignitas personatum adnexum habeat, quamquam è converso non omnis personatus dignitati cohæreat. Sic in cap. 8. de constit. Tullensis Primiceriatu modò dignitas, modò personatus appellatur. Sic in cap. 8. de rescript. quae dignitates dicuntur, personatus etiam nomine donantur. Sic in cap. 54. de elect. Archidiaconatus, qui sanè dignitas est, personatus vocatur. Cæterum in cap. 28. de præbend., ubi, postquam certa disciplina de dignitatibus constituta est, subjicitur, illud ipsum & in personatibus esse observandum, perspicuè insinuat, personatum à dignitate distingui. Nec præterea ignoro, ex variis diocæseon consuetudinibus factum fuisse, ut dictis nominibus alia indere-tur significatio, & qui in personatu tantùm esset, in dignitate constitutus dice-retur. At quid mores recepti hac in parte non operantur? Si enim dignitates, quae ab initio iurisdictioem adnexam habebant, adhuc nomen dignitatis retinuerunt, postquam iurisdictioe exuta sunt, cur non potuerint personatus ad-

qui-

quirere nomen dignitatis, etiam si nunquam adnexam iurisdictioem habuerint? Qui de vocabulo personatus movere controversiam velit, adeat Ducange in Glossario verbo *Personatus*. Tantùm ego dico, vetustissimam esse phrasim, qua qui certam auctoritatem explicat, *personam* habere dicitur: sic in l. 3. cod. Theodos. de maternis bonis, dicitur pater *sibi in rebus filiorum vindicare personam*. Officium appellatur munus quoddam singulare Clerico impositum sine iurisdictioe, item sine præstantia loci, vel sedis, quemadmodum ut plurimùm contingit in Scholasteria, in Magisterio, in Pœnitentiaria, & similibus. Simplici canonicatu illi potiti dicuntur, quibus sine ulla iurisdictioe, & sine ulla præstantia loci commune cum cæteris Capitulo adscriptis officium est.

Sunt hæc generalia, à quibus si gradum faciamus ad singula, notare debemus, ea omnia munera, quae à simplici Canonicatu in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia distinguuntur, & constituunt vel dignitatem, vel personatum, vel officium singulare, ut plurimùm sequentibus nominibus donari. Videlicet sunt, Præpositura, seu Præpositus, Decanatus, Abbatia, Prioratus, Archipresbyteratus, Archidiaconatus, Thesauraria, officia Custodis, & Sacristae, Primiceriatu, Cancellaria, Cantoria, Præcentoria, Succentoria, Pœnitentiaria, Theologalis, Magisterium, Scholasteria, & Plebania. Sanè non omnes hujusmodi dignitates, ordinesve apud singulas Ecclesias Cathedrales, aut Collegiales invaluerunt, sed pro diversis civitatum, aut locorum institutis modò unum, aliud modò ex his beneficiis, modò plura erecta intuemur; imò etiam alicubi miramur, unum gradum subjacere illi, qui alibi eidem, aut etiam omnibus subest. Sic, ut exemplum tradam, Archidiaconatus, qui illic primùm obtineat locum, istic secundum obtinebit, alibi etiam inter dignitates, officiaive postremum; hac enim in re potissima haben-

da est ratio consuetudinum, quae singularis in Provinciis obtinent, argumento cap. 6. de consuetud. Juvat hoc in loco singulorum brevem notionem effigere, ut facilius, & accuratius beneficia à beneficiis discriminemur.

Cum primùm Clerici in Cathedralibus Ecclesiis vitam communem inire cœperunt, quaedam inductae fuerunt dignitates, nimirum Præpositura, seu Præpositus, vel Decanatus, vel Abbatia, vel Prioratus (idem dicas velim de Ecclesiis Collegiatis). Reverà domestica, & pœnè familiaris Clericorum vita postulabat, ut ipsi intra domesticos muros, & extra locum Deo sacrum alicujus regimini subicerentur; quin ad hoc regimen adsumerentur dignitates institutae causa divinorum ministeriorum, aut causa peculii administrandi, vel partiendi. Hunc, qui domestico cœtui præficeretur, Præpositum appellaverunt, quasi eum, qui aliis præponeretur, cap. 9. de verb. signific., juncta l. 8. cod. de diversis officiiis, & leg. 1. cod. de Præpositis laborum, derivato vocabulo ab antiquis Monachis, qui Præpositum etiam nuncupabant eum, qui in vita Monastica dirigenda sibi præfectus esset, quemadmodum passim liquet ex Regula S. Basilii. Hinc Præpositus Collegio præerat, ubi de negotio ad totius Collegii jura spectante ageretur, quemadmodum in electione Episcoporum, aut Canoniceorum, uti liquet ex inscriptionibus capituli 4. de postulat. Prælat., cap. 16. de testibus, cap. 4. & ult. de concess. præb., ut alia omittam benè multa. In his adjunctis decebat etiam maximè, ut Præpositus certam in Ecclesia nobilem sedem haberet, sive prima illa esset, sive paulò inferior, dummodò ejusdem quaedam singularis ratio haberetur. Dissociata vitæ communione, adhuc quaedam Præpositorum jura remanserunt in convocando Capitulo, & in præsidendo Canoniceorum cœtui, quoties Collegii jura tuenda essent, aut vindicanda, aut exercenda; unde adhuc Præpositorum dig-

E2

dig-



dignitas remanere debuit, quamquam variis obnoxia vicibus pro locorum ac temporum varietate. A Præpositura non videtur differre Decanatus, nisi nomine tenus; ubi enim Canonici Præposito subiecti decem numerabantur, qui præerat, non Præpositus, sed Decanus audivit, derivato vocabulo ex militaribus ordinibus, apud quos qui decem militibus imperabat, Decanus dicebatur, teste Isidoro lib. 3. Originum cap. 3. Id potissimum in usu fuit in Gallia, in Hispania, in Lusitania, in quibus Provinciis Decanus tanquam Capituli princeps habetur, & passim liquet ex inscriptione cap. 2. de translat. Episcop., item ex cap. 8. de rescript., cap. 7. vers. *inferiora* de elect., cap. 1. de ætate & qualit. præfic., cap. 46. de appellation., & cap. 7. de concession. præbend., quibus in monumentis Decanus veluti princeps, aut saltem inter principes totius Capituli exhibetur. Hodie autem nihil refert, an sub Decano decem ex Canonicis Ecclesiæ serviant, an plures numero, vel pauciores; siquidem ubi primum instituta Collegia sunt, apta usurpata sunt nomina, quæ retenta adhuc fuerunt adaucto, vel imminuto Canonicorum numero; imò deinde obtinuit, ut non observato Canonicorum numero & Præpositi, & Decani nomina promiscuè acciperentur; alicubi etiam eò itum est, ut & Decanus, & Præposituræ tanquam duæ discretæ dignitates in eadem Ecclesia instituerentur, non quidem ad distinctionem officiorum, sed ad eum finem, ut adaucto dignitatum numero, quoddam majus certæ Ecclesiæ decus, majestas, & ornamentum accederet. Abbatis, & Prioratus ex eo cœperunt, inter Collegiales dignitates recenseri, aut quod Monasteria in Ecclesiis erigi cœperunt, & Cathedrales Ecclesiæ administrandæ commissæ fuerunt Monachis sub Episcopo deservituris, quemadmodum fama est, Gregorium Magnum instituisse Ecclesiam Anglicanam, ad quam misit Augustinum Episcopum, qui unâ eam Monachis clericali ordine initiatis

sacra faceret universa; aut quòd Monasteria in Ecclesias fuere conversa, & sæcularibus Clericis adsignata, ut in specie capituli 3. de relig. domib., cap. 11. de vita, & honest. Cleric., & cap. 27. de elect. Quum enim in Monasteriis & Abbatum dignitates, & Priorum officia potiora haberentur, post immutationem eadem nomina, eadem etiam præstantia ad Clericos Ecclesiæ eidem addictos pertinuerunt. Sic in cap. 3. de renunciat. legimus Abbatem sæculari Ecclesiæ præfectum cum auctoritate Canonicos recipiendi, eadem fermè ratione, qua ad Abbates Monasteriorum spectat Monachorum admissio. Sic in cap. 1. de ætate, & qualit. præfic. Abbates unâ cum Decanis, & Præpositis Capitulorum accensentur, quasi similis esset istorum omnium ratio. Priorum autem veluti capituli principum mentio fit in dicto cap. 27. de elect., & in cap. 1. de eo, qui mitt. in possess. Neque dubito, quin in eisdem Ecclesiis aliquando instituti fuerint & Abbates, & Priores, ita ut Prior sub Abbate Collegium regeret, uti contingit in Monasteriis majoribus, argumento cap. 6. de statu Monachor. Qui plura in hanc rem desiderat, adire poterit Fabricium in tit. de minoribus, & majoribus beneficiis num. 57.

Alia ratio fuit erectionis duarum dignitatum, quæ & celebratissimæ sunt, & in unaquaque ferè Cathedrali Ecclesia receptæ, videlicet Archipresbyteratus, & Archidiaconatus, ideo instituti, quòd Episcopo gravissimis aliquando negotiis impedito, distentove, aut infirmitate laboranti subsidium, sive vicaria quædam opera præstanda merito videbatur, quod etiam frequentius factum dignoscitur post sæculum Ecclesiæ nonum, quum nimirum Civitatis Chorepiscoporum officia sublata fuerunt. Quum enim Episcopi duplici cura gravarentur, priore in spiritualibus Ecclesiæ negotiis, posteriore in rebus Ecclesiæ temporalibus, duos sibi Vicarios constituerunt, unum de Presbyteris selectum, quem Archipresbyterum,

rum, alterum selectum è Diaconis, quem Archidiaconum nominarunt, illum spiritualibus, hunc temporalibus Ecclesiæ rebus præfectum. Hinc est, quòd Episcopo impedito Archipresbyter ad Provinciale Concilium accedere jussus aliquando fuerit, can. 5. Concilii Emeritensis anni 666., sacra mysteria celebrare, & populo solemniter benedicere consueverit, can. 1. ver. *Archipresbyter* dist. 25., cap. 1. & toto titulo de off. Archipresb., Archidiaconus autem dicitur Vicarius Episcopi in bonis Ecclesiæ, & obventionibus administrandis, in possessionem beneficialium prædiorum mittat, dicto can. 1. dist. 25. vers. *ad Archidiaconum*, cap. 1. & passim de off. Archid., juncto can. 24. dist. 93. Quoties isthæc accuratè perpendantur, satisfieri facillè potest vulgari quæstioni, ultra dignitas jure communi præstantior sit habenda. Cum enim de duobus Episcopi ejusdem Vicariis agatur in diverso officio, & ordine constitutis, conferendus sanè erit cum ordine ordo, & cum officio officium; eamque ob rem tanto præstantior adparebit Archipresbyteratus Archidiaconatu, quanto dignior est Presbyterorum ordo, ac officium ordine, ac officio Diaconorum. Ex antiquis hunc ordinem servavit Hieronymus, qui in Epistola ad Rusticum memorans præstantiam dignitatum quarundam ecclesiasticarum, primo loco Episcopos, deinde Archipresbyteros, postremo Archidiaconos recensuit, can. 41. caus. 7. quæst. 1. ibi, *singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi*. Ex recentioribus laudare possum auctorem libri diurni Romanorum Pontificum, in quo Archipresbyteri exhibentur primum locum tenuisse supra Archidiaconos. Sic in cap. 2. tit. 1. in formula nunciandi Exarcho Romani Antistitis obitum, primò subscribit Archipresbyter, deinde Archidiaconus, tertio Primicerius Notariorum, qui dicuntur *servantes locum sanctæ Sedis Apostolicæ*, scilicet eadem Sede vacante. Similia leguntur in tit. 5. in formula

Epistolæ, quæ scribi solebat ad Archiepiscopum Ravennatensem, dum certior redderetur de Pontificis Maximi electione. Idipsum in tit. 6. in Epistola eadem de causa scribenda ad Judices Ravennæ, & in tit. 7. in Epistola simili ad Apocrisarium Ravennæ.

Perspicua hæc essent, nisi hanc traditionem turbarent aliqua monumenta, quæ extant sive apud Gratianum, sive apud Gregorium IX. In primis in can. 1. vers. *Archipresbyter* dist. 25. legitur, Archipresbyterum obedire oportere *præceptis Archidiaconi, sicut Episcopi sui*. Deinde in cap. 1. de offic. Archid. adparet, Archidiaconum esse vicarium Episcopi in omnibus, & omnem curam in Clero tam in Urbe positurum, quam eorum, qui per Parochias habitant, exercere. Insuper in cap. 7. cod. tit. Innocentius III. ait, Archidiaconum secundum statuta B. Isidori *Parochiarum sollicitudinem, & ordinationem habere, Archipresbyteros ejus jurisdictioni subjacere*, imò & multa adjicit juxta constitutionem Romani ordinis, juxta epistolam Clementis Papæ, atque juxta suam aliàs editam definitionem, ex quibus omnibus colligitur, magnam fuisse Archidiaconorum auctoritatem. Præterea in cap. 1. de offic. Archipresb. traditur, Archipresbyterum debere obedire *præceptis Archidiaconi, sicut Episcopi sui* item *Archidiacono subesse*. Denique in cap. 1. de offic. Primicer. dicitur, Archipresbyterum, æquè ac Primicerium Archidiacono subesse. Sunt adhibenda in hæc omnia monumenta singulares quædam notæ. Atque in primis generaliter observandum est, olim, si Diaconi prætextu administrationis peculii ecclesiastici plurimum supra Presbyteros ambiebant, quam ob causam debuerunt ab Ecclesiasticis Patribus coerceri, quemadmodum liquet ex tota ferè dist. 93., Archidiaconos maximam sibi prærogativam vindicavisse. Id eveniebat in Cathedralibus Ecclesiis, in quibus Archidiaconi peculium ecclesiasticum dividebant non solum inter minores, sed etiam inter majores Clericos, ac Presbyterum.



byteros, imò & ipsi portionem Episcopo debitam Episcopo tribuebant. In hac administratione bonorum Archidiacono relicta, quis humanarum rerum apprime conscius non suspicetur, quantum sibi usu veluti capere Archidiaconi potuerint? Res primum eo alicubi devenit, ut nemo in Presbyterum ordinaretur, nisi consensu Archidiaconi, quasi ad Archidiaconum pertineret consideratis Ecclesiae redditibus proponere, ut augetur numerus ministrorum, vel deficientibus aliquibus ministris, alii surrogarentur. Quae consuetudo non placuit Hieronymo ut in vecta in Romanam Ecclesiam, ut liquet ex can. 24. vers. *sed dicitur* dist. 93. Inde eousque itum est, ut Archidiaconi prae-textu immissionis in bonorum ecclesiasticorum possessionem beneficia conferrent, etiam exclusis Episcopis, praesertim ubi divisa fuit collatio beneficiorum à collatione ordinum, unde multa dissidia inter Episcopos, & Archidiaconos profluxerunt. His accessit, Archidiaconos frequens abscedere à Cathedrali Ecclesia consuevisse, ut praedia Cathedralis Ecclesiae collustrarent in vicis & pagis constituta, item ut obventiones Cathedrali Ecclesiae debitas derivarent à Parochis villarum & pagorum. Hac occasione Episcopi mandabant Archidiaconis, ut Parochias visitarent, Parochos, ipsosque etiam rusticanos Archipresbyteros inviserent, atque, ubi isti non ritè suo munere fungerentur, eosdem monerent, coërcerent, atque punirent. Quis non videt, in his adjunctis Archidiaconos supra Archipresbyteros Cathedralis Ecclesiae, aut certè supra Archipresbyteros rusticanos certam jurisdictionem explicare coepisse, unde etiam praestantior se dignitatem habere gloriati sunt? Nunc intelligitur, quò spectant ea omnia, quae de officio, & dignitate Archidiaconorum sub Isidori nomine traduntur in dicto can. 1. dist. 25. Aut enim de Archipresbyterorum ruralium erga Archidiaconos obedientia ea intelligenda sunt, aut de extraordinariis mandatis ab Episcopo datis Archidiacono,

ex quibus Archidiaconus quaedam singularia praeter ingenitum officium exercebat, aut de singularibus quorundam Archidiaconorum moribus, unde singularis consuetudo certa jura tribuere potuit Archidiaconis in certis Ecclesiis, ad quas illud Isidori monumentum spectat. At enim cur Isidorum memoro? Jam diu Romani Correctores ad dictum canonem 1. observaverunt, corruptum esse illud monumentum, ac desiderari in nonnullis codicibus, quae ibidem traduntur de Archipresbyterorum erga Archidiaconos obedientia. Ego insuper in meis lucubrationibus in Gratianum tradidi, epistolam illam falsò fuisse Isidoro Hispalensi tributam. Quòd si accedamus ad capitulum 1. de offic. Archid., observavit jam Antonius Augustinus in notis ad cap. 2. eod. tit. in 1. collect., & post eum Fagnanus ad dictum cap. 1., ea verba in libro Romani ordinis desiderari, & quamquam fortè aliquis in eo fragmento velit consistere, adhuc poterit dicere, Archidiaconum haberi Vicarium Episcopi non quidem in omnibus generaliter Ecclesiae negotiis, sed in omnibus, quae temporalium bonorum curam spectant, nisi malit observare, compilatorem illius monumenti in certis factorum adjunctis ad singulae suae diocesis consuetudines respexisse. Multa quoque traduntur ab Innocentio III. in cap. 7. de offic. Archid., sed qui Innocentianum rescriptum considerat, percipit illicò, nihil fuisse ab Innocentio definitum, sed tantum proposita quaedam ex variis monumentis sine discrimine deprompta, quibus intelligeret, qui Pontificem interrogaverat, potius in ea re receptae consuetudini, quam juri scripto esse parendum. Reverà initio traditur, quod sub nomine Isidori Hispalensis legitur apud Gratianum in dicto canone 1. dist. 25. deinde subjicitur, quo ex Romano ordine derivatum dicitur in dicto cap. 1. de offic. Archid., cujus monumenti qualis sit auctoritas, modò indicabam. Adjicitur post hæc, quod sub nomine Clementis Papae traditum fuit

in

in can. 6. dist. 93., cui fragmento qualis habenda sit fides, indicavi in meis annotationibus in Gratianum. Denique concludit Innocentius indicando *quandam* suam constitutionem, quae ex judicio Fagnani in notis ad dictum capitulum non alia est, quam capitulum 9. eod. tit. Quis diceret in conspectu horum omnium, certam fuisse traditam disciplinam ab Innocentio? Adde mentionem, quae ibidem fit de Archipresbyteris, non factam intelligi de civitatensibus, sed de ruralibus Archipresbyteris, in quos extra ordinem ex mandatis episcopalis Archidiaconi potestatem quandam exercebat, quemadmodum indicant ea verba: *Archipresbyteri, qui à plebibus Decani nuncupantur, & Decani rurales*. Monuit quoque Fagnanus ad capitulum 1. de offic. Archipresbyt., non reperiri istud in aliquo ex conciliis Toletanis, quamquam sub nomine Toletani Concilii exhibeatur. Si conferatur hoc caput cum dicto canone 1. dis. 25. vers. *Archipresbyter verò*, liquet statim, illud à veteribus fuisse S. Isidoro tributum, quamquam apud Isidorum non reperiri, testatus est Garzias Loaisa accuratissimus investigator monumentorum Hispanicorum. Burchardus Epistolam ipsam Isidoro adscriptam retulit in lib. 3. cap. 50., omisso sanè eo versiculo, quem tamen addidit Ivo Carnotensis in parte 6. cap. 20. Denique non est major auctoritas capituli un. de offic. Primicer., in quo describendo Raymundus Pennafortensis fidem secutus est collectionis primae decretalium in cap. un. eod., ubi etiam idem monumentum depravatum sanè refertur ibi: *Item ex Concilio Romani ordinis: ut Primicerius sciat se esse sub Archidiacono, sicut & Archipresbyterum ad ejus curam specialiter pertinere &c.* Ex his omnibus concluditur, non satis aptè propositam disputationem enodatum iri ab iis, qui non melioribus monumentis utantur; tum demùm autem rectè de Archipresbyterorum dignitate, & praestantia sapere eum, qui cuncta exigere noverit ad germanam illius in-

dolem, ac naturam, atque ad traditiones Patrum, quibus illud officium inter praestantiora sine ullo discrimine recensebatur; quamquam si hodierni mores attendantur, longè diversi sint in unaquaque Ecclesia Cathedrali, etenim in pluribus Archidiaconi, praesertim ubi ad idem munus electi Presbyteratus ordine insignire coeperunt, ad eminentiorem gradum evecti fuerunt. At verò quid non est in hac materie consuetudinibus indulgendum, quousque recta sacrorum officiorum ratio, & distributio patiatur? praesertim quòd hodie sive Archipresbyterorum, sive Archidiaconorum jurisdictio aut extincta potius, aut plurimum immuta deprehenditur ita, ut vix veteris illius auctoritatis & quidem tenuissima supersint vestigia, quae potius ex uniuscujusque Cathedralis Ecclesiae statutis erueres, quam ex generalibus communis juris regulis definires.

Nondum recedo ab Archidiaconorum officio, & dignitate; ab eo enim se jungi minimè possunt aut Thesauraria, aut officia Custodis, ac Sacristae, aut Primiceriatu. Reverà quando Diaconorum officium spectabat quidem res Ecclesiae temporales inter Clericos, caeterasque alias causas impendendas, ac partitione facta redituum tribuendas, adhuc tamen sacras Presbyterorum functiones, ac divina ministeria adjuvabat, unde munus illud non merè profanum diceretur; ex Diaconis erant nonnulli, qui vacabant percipiendis, curandisque redditibus Ecclesiarum, erant etiam nonnulli, qui in Ecclesia ministrabant in sacris rebus, nisi dicere malis, omnes utrique parti, prout res incideret, satisfacisse. Omnibus Archidiaconus praerat, cujus mandato unusquisque muneri incumberebat. Sed quando Archidiaconus variis extra ordinem delegationibus Episcopi sui gravabatur, unde lustraret identidem diocesis, jurgiaque Clericorum audiret, ac dirimeret, postulavit utilitas Ecclesiarum, ut quidam Archidiacono adjuutores accederent, & quemadmodum in cura domestica &

fa-